

# BOLETIN OFICIAL

DEL

## OBISPADO DE OSMA

---

SE PUBLICA EN DIAS INDETERMINADOS, EN MEDIO, UNO O MAS PLIEGOS

---

VENERABILIS FRATER

*Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Catholicæ Ecclesiæ, quæ omnes homines materna caritate complexitur, nihil fere antiquius fuit inde ab initio, ceu nosti, Venerabilis Frater, quam ut servitutem, quæ misero iugo premebat mortaliū quamplurimos, sublatam cerneret penitusque deletam. Sedula enim custos doctrinæ Conditoris sui, qui per se Ipse et Apostolorum voce docuerat homines fraternalm necessitudinem quæ iungit universos, utpote eadem origine cretos, eodem pretio redemptos, ad eamdem vocatos beatitatē aeternam, suscepit neglectam servorum causam ac strenua vindex libertatis extitit, etsi, prout res et tempora ferebant, sensim rem gereret ac temperate. Scilicet id præstítit prudentia et consilio constanter postulans quod intendebat religionis, iustitiae et humanitatis nomine; quo facto de nationum prosperitate cultoque civili meruit optime.—Neque aetatis decursu hoc Ecclesiæ studium adserendi mancipia in libertatem elanguit; imo quod fructuosius erat in dies, eo flagrabat impensis. Quod certissima testantur monumenta historiæ, quæ eo nomine plures commendavit posteritati Decessores Nostros, quos inter præstant S. Gregorius Magnus, Hadrianus I, Alexander III, Innocentius III, Gregorius IX, Pius II, Leo X, Paulus III, Urbanus VIII, Benedictus XIV, Pius VII, Gregorius XVI, qui omnem curam et operam contulere, ut servitutis institutio ubi vigebat, excideret, et caveretur ne unde exsecta fuerat, ibi eius germina reviviscerent.

Tantæ laudis hereditas a Prædecessoribus tradita repudiari a Nobis non poterat: quare nulla prætermisa a Nobis occasio est improbandi palam damnandique tetricam hanc servitutis pestem; ac data opera de ea re in litteris egimus, quas III Nonas Maias anno MDCCCLXXXVIII ad Episcopos Brasiliæ dedimus, quibus gratulati sumus de iis, quæ pro mancipiorum libertate in ea regione gesta

fuerant laudabili exemplo privatim et publice, simulque ostendimus quantopere servitus religioni et humanæ dignitati aduersetur. Evidem cum ea scriberemus, vehementer commovebamur eorum conditione qui dominio subduntur alieno; at multo acerbius affecti sumus narratione ærumnarum, quibus conflictantur incolæ universi regionum quarumdam Africæ interioris. Miserum sane et horrendum memoratu es, quod certis nunciis accepimus, fere quadringenta Afrorum millia, nullo ætatis ac sexus discrimine, quotannis abripi per vim e rusticis pagis, unde catenis vincti ac cæsi verberibus longo itinere trahuntur ad fora, ubi pecudum instar promercalium exhibentur ac veneunt.—Quæcum testata essent ab iis qui viderunt, et a recentibus exploratoribus Africæ æquinoctialis confirmata, desiderio incensi sumus opitulandi pro viribus miseris illis, levandique eorum calamitatem. Propterea, nulla interiecta mora, dilecto Filio Nostro Cardinali Carolo Martiali Lavigerie, cuius perspecta Nobis est alacritas ac zelus Apostolicus, curam demandavimus obeundi præcipuas Europæ civitates, ut mercatus huius turpissimi ignominiam ostenderet, et Principum civiumque animos ad opem ferendam ærumnosæ genti inclinaret.—Quam ob rem gratiae Nobis habendæ sunt Christo Domino, gentium omnium Redemptori amantissimo, qui pro benignitate sua passus non est curas Nostras in irritum cedere, sed voluit esse quasi semen feraci creditum humo, quod lætam segetem pollicetur. Namque et Rectores populorum et Catholicæ ex toto terrarum orbe, omnes demum, quibus sancta sunt gentium et naturæ iura, certarunt inquirere, qua potissimum ratione et ope conniti præstet, ut inhumanum illud commercium evellatur radicitus. Solemnis Conventus non ita pridem Bruxellis actus, quo Legati Principum Europæ congressi sunt, ac recentior cœtus privatorum virorum, qui eodem spectantes magno animo Lutetiam convenere, manifesto portendunt tanta vi et constantia Nigritarum causam defensum iri, quanta est ea qua premuntur ærumnarum moles. Quare oblatam iterum occasionem nolumus omittere, ut meritas agamus laudes et gratias Europæ Principibus ceterisque bonæ voluntatis hominibus, atque a summo Deo precamur enixe, ut eorum consiliis et orsis tanti operis prosperos dare velit eventus.

At vero præter tuendæ libertatis curam, gravior alia pressius attingit apostolicum ministerium nostrum, quod Nos curare iubet, ut in Africæ regionibus propagetur Evangelii doctrina, quæ illarum incolas sedentes in tenebris, a cæca superstitione offusis, illustret divinæ veritatis luce, per quam nobiscum fiant participes hereditatis Regni Dei. Id autem eo curamus enixius, quod illi, hac luce recepta, etiam humanæ servitutis ab se iugum excutient. Ubi enim Christiani mores legesque vigent, ubi religio sic homines instituit, ut iustitiam servent atque in honore habeant humanam dignitatem, ubi late spiritus manavit fraternæ caritatis, quam Christus nos docuit, ibi neque servitus, nec feritas, neque barbaria extare potest;

sed floret morum suavitas, et civili ornata cultu christiana libertas.  
 =Plures iam Apostolici viri, quasi Christi milites antesignani adiere regiones illas, ibique ad fratum salutem non sudorem modo sed vitam ipsam profuderunt. Sed *messis quidem multa, operarii autem pauci*: quare opus est, ut alii quamplures eodem acti spiritu Dei, nulla verentes discrimina, incommoda et labores, ad eas regiones pergent, ubi probosum illud commercium exercetur, allaturi illarum incolis doctrinam Christi veræ libertati coniunctam.—Verum tanti operis aggressio copias flagitat eius amplitudini pares. Non enim sine ingenti sumptu prospici potest Missionariorum institutioni, longis itineribus, parandis aedibus, templis excitandis et instruendis, aliisque id genus necessariis, quæ quidem impendia per aliquot annos sustinenda erunt, donec in iis locis ubi consederint evangelii præcones, suis se sumptibus tueri possint. Utinam Nobis vires suppeterent quibus possemus hoc onus suscipere. At quum votis Nostris obsistant graves, in quibus versamur, rerum angustiæ, te, Venerabilis Frater, aliosque sacrorum Antistites Catholicos omnes paterna voce compellamus, et Vestrae eorumque caritati commendamus opus tam sanctum et salutare. Omnes enim participes eius optimus fieri, exigua licet collata stipe, ut dispartitum in plures onus levius cuique toleratu sit, atque ut in omnes effundatur gratia Christi, de cuius regni propugnatione agitur, eaque cunctis pacem, veniam peccatorum, et lectissima quæque munera impertiat.

Propterea constituimus, ut quotannis, qua die in quibusque locis Epiphaniæ Domini celebrantur mysteria, in subsidium memorati operis pecunia stipis instar corrogetur. Hanc autem solemnem diem præ ceteris elegimus quia, uti probe intelligis Venerabilis Frater, ea die Filius Dei primitus sese gentibus revelavit dum Magis videndum se præbuit, qui ideo a S. Leone Magno decessore Nostro scite dicti sunt *vocationis nostræ fideique primitiæ*. Itaque bona spe nitimur fore, ut Christus Dominus permotus caritate et precibus filiorum, qui veritatis lucem aceperunt, revelatione divinitatis suæ etiam miserrimam illam humani generis partem illustret, eamque a superstitionis cœno et ærumnosa conditione, in qua tamdiu abiecta et neglecta iacet, eripiat.

Piacet autem Nobis, ut pecunia, prædicta die, collecta in ecclesiis et sacellis subjectis iurisdictioni tuæ, Romam mittatur ad Sacrum Consilium Christiano nomini propagando. Huius porro munus erit partiendi eam pecuniâ inter Missiones quæ *ad detendam potissimum servitutem* in Africæ regionibus extant aut instituentur: cuius partitionis hic modus erit, ut pecunia profecta ex nationibus, quæ suas habent catholicas missiones ad vindicandos in libertatem servos, ut memoravimus, istis missionibus sustentandis iuvandisque addicatur. Reliquam vero stipem idem Sacrum Consilium, cui earumdem missionum necessitates compertæ sunt, inter egentiores prudenti iuditio partietur.

Equidem non ambigimus, quin vota Nostra pro infelibus Afris concepta, benigne excipiat dives in misericordia Deus, ac tu Venerabilis Frater, ulti collaturus sis studium operamque tuam, ut ea expleantur cumulate.—Confidimus insuper, per hoc temporarium ac peculiare subsidium, quod fideles conferent ad inhumani commercii labem abolendam et sustentandos evangelii nuncios in locis ubi illud viget, nihil imminutum iri de liberalitate qua Catholicas missiones adiuvare solent collata stipe in Institutum quod Lugduni conditum *a propagatione fidei* nomen accepit. Salutare hoc opus, quod fidelium studiis pridem commendavimus, hac nunc opportunitate oblata novo ornamus laudis testimonio, optantes ut late porrigit beneficentiam suam et læta floreat prosperitate. Interim Tibi, Venerabilis Frater, Clero et fidelibus pastorali vigilantiæ tuae commissis, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die xx Novembris anno MDCCXC, Pontificatus Nostri decimo tercio.

LEO PP. XIII.

**NOS EL DOCTOR DON PEDRO MARIA LAGUERA Y MENEZO,**  
*por la gracia de Dios y de la Santa Sede Apostólica Obispo de Osma,  
 Señor de las Villas de Burgo de Osma, Ucero y las Quintanas Rubias,  
 de la Academia Romana de la Religion Católica, Asistente al Sólio  
 Pontificio, etc., etc.*

A todos los que el presente vieren hacemos saber: Que estando vacante el Beneficio de Sochantrre de Nuestra Santa Iglesia Catedral, por haber tomado posesion el que le obtenia, D. Tomás Sanz, del curato de San Juan de Aranda de Duero, hemos determinado convocar á concurso para su provision, la cual corresponde en turno á la Corona. Por lo tanto, los que estando ordenados de Presbiteros, ó en aptitud de serlo *intra annum a die adeptæ possessionis*, quisieren mostrarse opositores, comparecerán personalmente, ó por apoderado, ante Nós, y por medio de Nuestra Secretaría de Cámara y Gobierno, dentro de treinta dias, que empezarán á contarse desde la fecha y concluirán el cinco del próximo Enero, siempre que reunan las condiciones siguientes: no tener más de cuarenta años de edad, lo que justificarán con la partida de Bautismo legalizada; voz clara de cuerpo y sonora con la extension igual desde G—sol—re—ut grave, hasta D—la—sol—re agudo sin socorro de falsete; la instruccion necesaria en el canto-llano y figurado, y buena conducta moral religiosa. Asimismo, los eclesiásticos presentarán las testimoniales y licencia de sus respectivos Frelados. Concluido dicho término, el cual desde ahora para entonces queda prorrogado por tiempo indefinido, si no se presentase opositor alguno aceptable,

darán principio los ejercicios de oposición ante los examinadores que señalarémos al efecto, y en seguida procederemos con arreglo á lo dispuesto en la Real Orde de 16 de Mayo de 1852, dada de acuerdo con el M. R. Nuncio Apostólico.

Si durante el término ordinario que se expresa, ó del de próroga en su caso, no se presentase opositor alguno que tenga la extensión de voz que se exige, ni toda la instrucción que es de desear en el canto, elegiremos el opositor que, á juicio Nuestro y el de los examinadores, pueda desempeñar sin grave inconveniente el cargo anexo á dicho Beneficio.

Las obligaciones del agraciado serán: cantar en todas las horas canónicas, procesiones y demás Oficios divinos, á que asista el Cabildo en cuerpo, ó el Prelado Diocesano en su Catedral, y desempeñar el Bajo de Capilla; alternar por semanas en las entonaciones con el Beneficiado Salmista, ó los que tengan este cargo; ser juez, si fuese para ello nombrado, en ejercicios de oposición á cualquier beneficio, ó cargo de canto ó música; regir el coro en la vacante del Beneficio de Salmista con la retribución que se le señale, y gratis, en ausencia y enfermedades del mismo, y cumplir, no siendo incompatibles con su oficio, las demás cargas comunes á los otros Beneficiados, establecidas ó que en adelante se establecieren en Nuestra Santa Iglesia Catedral; y si llegase á imposibilitarse para desempeñar sus cargos, quedará sujeto á lo que respecto de su jubilación se determine. El agraciado percibirá en el tiempo y la forma que los demás Beneficiados de Nuestra Santa Iglesia, el haber que le corresponde según el último concordato, y disfrutará, si obtuviese la competente licencia, los días de recla que tienen los mismos, poniendo de su cuenta quien, durante la ausencia, levante sus cargas, si los otros Beneficiados de oficio ó Salmistas no pudieren.

En testimonio de lo cual mandamos expedir el presente Edicto, firmado por Nos, sellado con el mayor de Nuestras armas, y refrendado por Nuestro Secretario de Cámara y Gobierno, en la Villa de Burgo de Osma á siete de Diciembre de mil ochocientos noventa.—**PEDRO MARÍA, Obispo de Osma.**—Por mandado de S. S. I. y Rvma. el Obispo mi Señor, **Dr. José Hidalgo Secretario.**

## CONFERENCIAS MORALES Y LITURGICAS DEL OBISPADO DE OSMA.

Dia 25 de Setiembre.

*CASO. N. dubium contra fiduci veritatem, juxta quod interius sentiebat, scripsit; at illico, quin scriptum nemo videret, illud in ignem missit. Alias,*

*licet irridendi causa et ex curiositate concionibus et baptismo hæreticorum astiit. Quid ad casum? Peccavitne in omnibus N? An et in quam censuram incurrit? Quis eum absolvere potest?*

SOLUCION. Procul dubio peccavit N. graviter contra fidem; nam dubium illud vel possitivum fuit vel negativum; si primum vere et deliberate dubitavit de veracitate Dei, gravem igitur Deo intulit injuriam, judicans eumdem fallere et falli posse: si secundum etiam peccavit, etenim simul ac tale dubium in ejus mentem venit, veritatem inquirere tenebatur, cum præceptum credendi secum ferat obligationem discendi quod credendum est; quare si valde negligens in hoc fuerit, planum est grave quoque ejus peccatum fuisse. Peccavit pariter, dum adfuit concionibus et baptismo hæreticorum; sed quoad conciones, si tantum curiositatis vel irrisionis causa astitit, autores omnes eum excusant à gravi peccato, dummodo ex asistentia non sequatur scandalum, vel adsit per versionis periculum, vel quædam stet particularis lex, prout in aliquibus locis, quæ hanc asistentiam expresse prohibeat; verum respectu asistentiæ hæreticorum baptismo nullo modo à gravi reatu excusari potest, cum baptisma actus religiosus sit, maxime ad fidem spectans, ac præcipuum religionis signum, unde asistentia illa in baptismo idem esset ac approbatio ritus principalis religionis falsæ, ac proinde idem foret ac exterius negare veram fidem, quod certe vetitum est tum jure naturali, cum divino et ecclesiastico. Quoad censuram dicendum quod, si dubium erat possitivum, deliberatum et cum pertinacia conjunctum, quod tunc fiet, cum sit omnino certus veritatem illam reapse fuisse revelatam, et aliunde censuram contra hæreticos impositam non ignorabat, ex communicationem R. Pontifici speciali modo reservatam in primo numero Const. «Apostolicæ Sedis» incurrisse aperte dicendus est N., cum revera hæresis mixta, etsi occulta, in eo fuerit; ideoque à nemine nisi à Papa, nec Bullæ Cruciatæ vi absolvi poterit, nisi agatur de mortis articulo vel impossibilitate R. Pontificem adeundi. Secus si dubium fuit indelibatum, seu tantum inciderat circa revelationem illius veritatis, neconon si laborabat ignorantia, etsi crassa et affectata, respectu censuræ, quia tunc non vere contumax dici posset; et odia restringenda. Ex Com. Recatino in Const. Apostolicæ Sedis, nec non Ballerini.

### Dia 9 de Octubre.

CASO. *O, fenerator et dives valde, cum perpetuo in terris vitam agere non possit, saltem diutissime ad divitarum delicias fruendas, quas tamen in articulo mortis, ne in altera vita gloriæ delitiis privetur, restituere vult, vehementer vivere cupit. Quid de O? Peccavitne et quomodo contra spei virtutem?*

SOLUCION. Peccavit sane O. contra virtutem spei; licet enim à Deo non videatur totaliter recedere, ut indicant verba casus» ne in altera vita gloriæ delitiis privetur,» tamen vehementer cupiens in hac vita vivere, ad fruendum divitarum delitiis, videtur à fine suo ultimo deflectere, quod certe peccatum contra hanc virtutem juxta omnium sententiam constituit. Ceterum, commisit peccatum præsumptionis, quod grave est ex genere suo, cum gloriæ delicias assequi velit sine ullo labore, omittendo nempe media à Deo stabilita ad æternam beatitudinem consequendam; et insuper peccavit contra justitiam, restitutionem alienorum bonorum differendo,

nec non conversionem suam ad extremum usque vitæ protrahendo, in quo adest etiam peccatum contra charitatem erga seipsum, et nimiam fiduciam in Dei misericordia aperte includit, quod peccatum contra spem est, ut omnes auctores fatentur.

### Dia 23 de Octubre.

CASO. *Inter duos Præsbyteros, rei liturgicæ peritos, magna quæstio exorsa est: illorum alter asserit primam orationem in missis defunctorum tam solemnibus quam privatis, illam esse debere, quæ defuncti, pro quo applicatur, qualitati respondeat; et in privatis plures in numero, licet impares non sint, dici posse. Sed è contra alter affirmat primam orationem illam esse debere absque exceptione, quæ in singulis missis ponitur, et semper impares esse debere. Quid tibi videtur?*

SOLUCION. Videtur dicendum præfatos præsbyteros, missas solemnes cum privatis confundentes, aperta equivocatione laborare, nec rei liturgicæ peritos existimandos esse. Ambo enim errant, quandoquidem juxta S. C. decreta in solemnibus una tantum oratio, eaque conveniens personæ seu personis, pro quibus Missa applicatur, dicenda sit, et invenitur in Missali; in privatis autem tres orationes dici debent semper, sed possunt dici quinque aut septem, semperque prima sit *Deus qui inter Apostolicos*, et ultima *Fidelium*. Semper igitur debent esse impares, et desumendæ sunt ex illis quæ pro defunctis in Missali pos Missam quotidianam assignantur, sed convenit servare ordinem Missalis, ita ut non recitetur primum quæcumque posterior, et postea quæcumque anterior, et recitare inter illas orationem pro defunctis, pro quibus Missa applicatur. Ita Herdt. juxta S. R. C. decret. 4119, 5208, 5355 et alia.

### Dia 6 de Noviembre.

CASO. *Maximum in præsentibus circunstantiis periculum est, ut fideles paulatim decipiантur et corrumpantur a «catholicis-liberalibus» dictis, a quibus non tamen aperte errores liberalismi patrocinantur. Hoc posito, aliqui Sacerdotes et etiam parochi sunt, qui prudenti, ut ajunt, silentii æconomia ducti, ne odium liberalium contra se concitent, et divisiones inter fideles, nec in publico, nec in privato verbum de liberalismo ejusque erroribus dicunt. Quid de præfatis Sacerdotibus? Peccantne et quomodo contra charitatem proximi?*

SOLUCION. Sacerdotes præfati non recte sese gesserunt, nec eorum agendi ratio ulla tenus sequi potest, quia præceptum charitatis erga proximum minime adimpleverunt. Obligat enim præceptum hoc ad proximo subveniendum in gravi spirituali necessitate constituto, etiam cum aliquo incommmodo, et cum majori adhuc, si aliquis stet titulus justitiæ, pietatis vel officii, propter quem magis ac magis urgeat illa obligatio, quod certe locum habet potissime parochorum respectu. Gravis autem fidelium necessitas plane eruitur ex periculo perversiōnis, quod adest, ne a liberalibus corrumpantur fideles, semper ac illud proximum sit et difficile ab eis removeri possit; quod, utpote ordinis superioris, comparari nequit cum temporalibus damnis, quæ sacerdotibus evenire contingat. Quapropter parochi illi graviter peccant, cum gravi obligationi justitiæ quidem ac

officii non satisfaciant: sacerdotes vero simplices, qui tacuerunt occassio-  
næ data, etiam deliquisse dicendum est, quippe qui non adimpleverunt  
legem naturalem charitatis, quæ ad omnes et singulos sese extendit. Gury  
et Ballerini. Vide etiam casum 11 Septembris proxime præteriti.

### Dia 20 de Noviembre.

CASO. *P., uxorata, suam ex affinitate sororem Q. admodum odit, ex eo quod inhonestam vitam agere cum viro suo suspicata est; ex quo rixæ et mutuæ et graves injuriæ cum magno populi scandalo inter eas exurgunt. Quo a parocho scito, eas seorsum apud se vocat, ut scandalum tollant et reconcilientur, cui respondit P.: ego injurias Q. condono, sed nolo nec possum absque periculo iterum in peccatum incidendi videre eam; ac proinde illa in domo sua sit et ego in mea. Quid de P.? Adimplevit ne præceptum inimicos diligendi?*

SOLUCION. De P. dicendum pessime se gessisse cum Q., cum odium valde grave erga eam concepisset, quod aperte charitati adversatur. Post parochi vero monitionem certe asseri potest præceptum inimicos diligendi implevisse, cum revera et formaliter injurias Q. condonaverit, causas rixarum penitus tollerit, odiumque omnino depossuerit. Et quamvis non adeo perfecta videatur reconciliatio, quippe Q. videre recusat, nihilominus à culpa gravi excusari potest propter periculum iterum in peccatum incidendi, maxime si illud proximum sit ob ingentem injuriam vel ejus recordationem, cum hoc sit ratio sufficiens, et altera inter causas ab auctoribus asignatas, signa communia dilectionis saltem ad tempus inimicis denegandi: et aliunde, ut Ballerini ait, sicut mali illatio, ita mali alieni desiderium admittit parvitatem materiæ, quod si in omnibus valet, à fortiori in inimico valere debet, quare etsi penitus non desit in hoc casu inordinatus animus, non ideo statim gravis culpæ damnari debet: unde colligitur quod si P. culpæ gravis damnari nequit, abs dubio præceptum de quo agitur, implevit.

### NECROLOGÍA.

El dia 9 del finado mes, falleció en Gumiel de Izán, el R. P. Pedro José de Echevarria, de la Compañía de Jesús, al terminar la mision que con otro padre dió con gran fruto en dicha villa, cuyo crecido vecindario en masa acompañó á los funerales y al sepulcro, el cadáver de su bienechoor espiritual.

Descanse en paz el ilustre misionero, muerto durante su ministerio apostólico, que antes de ahora había ejercido ya en esta Diócesis, y en otras de España y América, por espacio de cerca de treinta años.

R. I. P.

